

aliquoties enixae, notae sunt, vel medico eandem mulierem per aliquot annos curanti obueniunt, vnde certus scire potest, mulierem prole esse foecundam. In vniuersum vero signorum, quae feminam vere gravidam esse plerumque indicant, in certa inque ambigua semper placuit diuisio. Referuntur autem ad ambigua vel incerta fluxus menstrui defectus, abdominis incrementum et extensio, nausea, et cibi alicuius, vel plurium auersatio, vomitus, mammaram tumescentia, viri fastidium, dentium auriumque dolor, oculorum debilitas, salivae largior secretio, corporis lassitudo. Quae quidem signa, etiamsi singula per se nihil probent, tamen cum omnia vel plurima saltem adsunt, grauiditatis suspicionem excitant haudquaquam inanem. Ad certiora signa inprimis catameniorum suppressionem referunt medici et potissimum tunc, cum femina nunquam antea eius fluxus vitio laboravit, quo nunc absque grauioribus molestiis omni priuatur. Incrementum vteri, certis interuallis ac secundum stadia grauiditatis nunc hypogastricam, nunc vmbilicalem, nunc epigastricam ventris regionem extendens, equidem signum non adeo certum existimo; nam non in omnibus grauidis, praesertim abdomen pendulum gerentibus, vno eodemque modo crescit ouulum: deinde hydrops vteri, polypiae similem interdum scenam ludunt. Foetus ipse praesentiam motu annunciare dicitur suam, id quod plerumque sub finem quinti mensis fieri solet. Neque tamen exempla desunt, quibus et huius signi fallacia probari potest, nec medicus, quamuis attentus, sine multo vsu sibi ab hac errandi procliuitate semper cauebit, ac per abdomen aquasue motum infantis distinguet ab illa elastica et vaga extensione ventris, a flatibus aliisque causis internis producta. Digitus solus, in vaginam ad vteri orificium vsque immissus, ibi inueniet mutationes, quae, longa experientia teste, tempore grauiditatis in vteri orificio cum aliqua constantia deprehenduntur. Illud enim in virginibus et feminis non impraegnatis magis versus superiora retractum est, caeteroquin durum, laeue, rimula tenerima praeditum, atque longitudine crassitieque primam digiti minimi phalangam fere attingens. Post coitum vero foecundum plane clauditur, fitque breuius, mollius, et magis mucronatum. Omnes